

NATIONAL LIBRARY OF MEDICINE

Bethesda, Maryland

ANDREÆ CASSII

Johon: D E Horne.

Triumviratu Intestinali

Cum suis Effervescentiis,

Repetita Disputatio.

Cui accessit

* Epistola Amici ad Amicum

Qua præcedens disputatio

examinatur.

* Scripta a mathia Taiphis.
(Placitus de scrip: Anonymi p. 4)



Apud NICOLAUM PLACIDUM,

CLC LX IX. J. M.

• 2007-10-12

Official minimum

zunächst als eine sogenannte

Constituted in 1863 as a company, 2

As a result we can conclude

PROÆMIUM.

EA artis Medicæ hodiè est infelicitas, ut in fabulas tota transcendat ac in scenas trahatur; *Quisque enim causas & initia naturalium pro ingenio fingit suo; nova, modo habet enus inaudita sint, præferuntur veris; antiquum omne fætet, conculcata jacet veterum autoritas; rejectus librorum, etiam elegantiorum, usus.* Vanas ejusmodi mentes occupavit persuasio, quod se omnes scientia numeros implevisse putent, quod naturam sibi met solis Iua revelasse sacraria credant, & tyrones, in veterum Medicinae perniciem, prodigioso cultu ejusmodi novitatum magistros venerantur, non secus ac si illi saltem in consilia Deorum essent admissi, ac soli scirent quid Iuppiter Junoni in aurem dixisset. His nugis etatem suam conterunt juniores, quasi tunc omne tulissent punctum, ac hisce cristam erigunt, practicisque

A

cisque

cisque, qui plures viderūt annos, insultant, tot & tanta crocitant prodigia, tot volunt videri monstrorum domitores, tot intestinalium pugnarum, tot militarium humorum congressuum, duellorum Doctores, quibus profecto nauseam & fastidium movent viro cordato, qui eos miseratione judicet dignos. In his tamen putant se solos esse alpha, se solos reliquorum Practicorum radiantes apices & luciferos, & Medicinæ pancreaticæ specula lucidissima. Extra hæc alioquin septa ignota omnium facies & subductus usus; Veterum enim res ita transiliunt, sicut felis prunas, aut sicut mus properare solet ad antrum: & protenus quidam quantum possunt, vel dimidio anni spatio, cursum pancreaticum absolvunt, omnique alarum remigio evolant ad supremum fastigiū, in quo pro tribunali sedet operosa Iatrice; interrogati quanquam de verâ morborum essentiâ, de veris partis affectâ & morborum

borum signis, de tempore & modo exitus morbi, & ad consultationes provocati, magis muti sint quam pisces, nihilque recitatâ illâ pugnâ intestinali amplius illis superfit, quam quantum displosa semel vesica pepedit. Hinc saepè accidit, ut collegia multifugiant doctorum virorum, ut saltem consultationibus colloquiis sese substrahant, eò quod non sint in his exercitati, nec ultrâ mesenterium sapient. O miseras, non sicut juvenes, nolite his novis conceptibus adeò vobis blandiri, his suspicionibus, opinionibus, putationibus ita dare fidem, ut reliqua elegantiora magis ornata, & tot jam seculis probata ac suscepta, negligatis; nolite veteres abjicere calceos antequam habeatis meliores; nolite alienus oculis, alienâ fide intueri omnia; profecto non est necessitas quadam quæ vos cogat, nec ideo capital commisso videbimini, aut damnari vos oportebit fustidineas aut

ferricrepidineas insulas ubi vivos homines mortui incursant boves, si novam hanc monstrificam medicinam non religiose suscipiatis. Olim quidem Socrates, quodcunq; dixisset aures ipsa erat, & Pythagoras altum silentium imperabat auditoribus; sed haec tempora præterierunt; in naturæ palæstrâ non standum est autoritatibus; in hac liberum est unicuique ingenium suum periclitati, quamdiu suprema lex monet veritas, ut in Republicâ populi salus; in hac ingenuo spiritu licet veritatem inquirere, & ut ille dicebat, parcere personis, dicere de vitiis. Quâ libertate mihi quoque concessâ, Triumviratum hunc omnibus candidis veritatis amatoribus fisto, cui ut faciat e meretrici si detrahantur adulterini erines & ornamenta adscititia, apparebit quid nativi habeat splendoris.

T H E S I S. I.

UT ad rem ipsam sine ampliore ambage nunc accedam, quid *Triumviratus* significet, de nominis etymo hæc præmittenda duco: quod nimirum hæc appellatio à *Triumviris* deducta fit, olim Romam gubernantibus, non ineptâ sanè analogiâ; si enim consideremus illud, quod perhibetur, humorū collegium, eorumq; in totum corpus divisum *triumvirale imperium*, commode *Triumviratum* dixeris, & exemplum Helmondtii, qui duūviratus aliquot jura dudūmsancivit, quiq; egregiè solet ludere nominibus, optimè sequevis. Quam vocis similitudinem magis etiam illustrabis, si *Capitolii* instar tibi sit duodenum, si *Romana humoribus concesseris nomina*, comparando bilem *Antonio*, *Augustum* humorī *pancreatico*, *Lentulum* pituitæ *salivali*.

I I.

Sed dices profectò, nihil est hic *Triumviratus*, quam bilis, pituita, melancholia *Veterum*, quas recentiores ut morborum causas juxta cum veteribus credunt? Reverà quidem nihil sunt quam bilis ex felliculo fellis, succus *pancreaticus* qui melancholiā emulatur, pituita inhærens intestino, quos præternaturaliter omnium morborum volunt esse origines; longe tamen discedendum erat à veteribus, quod hi non.

hi non tam immensos fibi de horum triumviratu formaissent, conceptus. Fateore quidem, non destruenda erant monumenta veterum qb nova nondum planè confirmata ; ea tamen ingenii fuit luxuria , is affectuum impetus , ut non sibi temperare potuerint Triumviratus autores , quin hos irreconciliabili prorsus odio prosequerentur , eò quod horum humorum in duodeno , tanquam palæstrâ militari , concursus , effervescentias , furores , non olfecissent , quod non vidissent Antonii , Augusti , Lentuli blandas in statu sano pugnas , furibundas in ægro.

III.

Audiamus sexcenta quæ hi nunquam patrarunt facinora ; doluit aliquis dextro hypochondrio , doluit intestinis ; decubuit quispiam febri tertianâ , heu protinus surrexit decretum , succus pancreaticus miles importunus invitit hospitibus in duodenum irrupit , ibique cum Lentulo & Antonio (puta bile & pituita) conflictum seu effervescentiam instituit justo majorem , unde dolores , unde febris ; absit enim statuere cum veteribus bilis & pituitæ corruptiones , ac si eodem modò pituita non accescere posset , quām succus pancreaticus : exercet quendam febris quartana , huic cerbero protinus imputatur culpa , non veterum melancholiæ ; etsi nihil obstet , quin hæc eodem jure
præter-

præternaturaliter accessat in liene, quam hi
in pancreate. Sexcenta potius illa quæ in cor-
pore nostro Hippoc lib. de priscâ Med. scri-
bit, si per se extiterint, molestiâ afficere, infuc-
co pancreatico latere creduntur; horum enim
si quæpiam secernuntur, producit amarum,
salsum, dulce, acidum, insipidum, acerbum,
amarum calidum & acutum, salsum & cali-
dum; pituitæ n. veterum falsæ, insipidæ,
acerbæ, acidæ, dulces, vitreæ, biles porraceæ,
æruginosæ, isatodes, vitellinæ, adustæ, atræ, in-
ter causas morborum locum non habent am-
plius, quamquā negari non possint & quotidiè
occurrant. Monstruosus magis delectat succus
pancreaticus; hic n. &c suus adversarius Anto-
nius uterq; gallo pythagorico aut pileo morio-
nis similis varias sustinent formas; pancreaticus
est acidus, est dulcis, est insipidus, est subaci-
dus, summè acidus, est acido salsus; non obstan-
te vulgari axiomate, contraria in eodem subje-
cto eodem tempore inesse non posse.

I V.

Sed agesis pellem detrahamus huic perso-
nato leoni ut appareat arcadicum pecus; pro-
positiones, quas præmissas volo, sunt sequentes.

In corpore nostro nullus est sal acidus,
nullus retorridus vel lixiviosus.

In corpore fano nil perpetuæ aciditati-
zeppes

repperitur.

Ratione salium nulla in nobis effervescentia excitatur.

Principia quæ putantur bilis & succi pancreatici constitutiva, non sunt principia.

V.

Meras opiniones, suspiciones, dubitationes esse acidis salibus succum pancreaticum imprægnatum esse, acidum è sanguine in hunc dirigi, acidum salem in sanguine existere, acidofales in nobis effervescente, si omnes salis acidi perpendamus difficultates, tum quâ sal tum quâ acidus esse perhibetur; qua enim sal est nondum hactenus constat, cujus generis sit sal acidus, & quâ ratione à vulgari Chymicorum principio distinguatur, & an ejus sit existentia; nulli n. Philosophorum aut Chymicorum, excepto solo Helmondtio, primam ejus fecerunt mentionem. Adeoque dicant illi qui toti fermento sunt, ubi sal ille acidus lateat; profenant vel tantillum salis acidi experimentis ex humore pancreatico educiti, adeò ut sensuum testimonio evincere queant & salem illum esse & acidum; exhibeant illum oculis nostris per destillationem aut aliâ ratione extractum, & magna protenus ejus tolletur nobis suspicio; quamdiu enim nec gustare possumus, nec agnoscere & salem esse & acidum, habemus illum pro ente rationis, opinionibus, suspicio-
nibus.

nibus mirificè natō ac concepto.

V I.

Nullus sal acidus reperitur in totā naturā; quicquid Helmondtius de sale etiam acido somniet. Insulfus est cum salem acidum statuit, cum aciditatem in sale fundatam credit, nunquam enim probabit: plurima quidem saporem salinum acidum referunt; sunt salia herbarum essentialia, est sal acerosæ, cujus tamen aciditas malè sali adscribitur; salia n. hæc essentialia reverà non sunt salia, nec in numerum salium magis referri possunt quam vietriolorum & aluminum genera; sunt enim hæc corpora tantùm salitormia, non v. salia, nisi impropriè appellanda, eò quod usta post ebullitionem multum relinquant capitum mortui, & quod ex diversis principiis sint conflata, ut ex destillatione illorum sat is liquet.

V II.

Ac speciatim quoad spiritus acidos per vulcanum ex hisce extractos, ex horum aciditate male acidum salem conceperint. Sic spiritus vietrioli acidus licet sit, nunquam tn. artifex separabit ex eo substantiam salis acidi saporem & naturam referentem; non enim magis simplex est hic spiritus, quam ipsum erat vietriolum, & quomodounque etiam coagulatus heterogeneum à sale corpus semper præberet; neque ex ipso aceto extorqueri potest mica salis acidi,

acidi, utpote ex quo per destillationem nil nisi genuinus separatur tartarus; nec ex spiritu salis communis acido; mechanicè n. qui contrarium tuentur, ostendant ex his spiritibus secretos sales, nunquam v. ostendent; monstrabunt acetii fixatos spiritus, monstrabunt spirituum cum corporibus coagulationes non v. sales. Spiritus acetii quam primum actione sue aciditatis vel minium, vel corallia, mordendo attigerit, coagulatur confessim; verum hi atomi coagulati non sunt acetii sales; spiritus acetii sale tartari imbibuntur tam avidè, ut unica libra salis tartari 30. stophas acetii in aquam possit convertere insipidam, nullâ tamen subtilitate quis arguet esse acetii sales è tartaro susceplos; spiritus vietrioli acidus & volatilis corrosio mercurio condensatur in alumcn ab Hellemondio descriptum, verum hoc sal spiritus vietrioli nullâ ratione meretur dici: Nemo n. chymicorum ignorat, hos putatios nil esse nisi spiritus ipsos suprà metallum vel alia corpora condensatos, qui per destillationes rursus à corporibus suis abstracti idem fiunt, nempe spiritus, quod erant ante, licet interdum magis ignei reddantur juxta innatam particularum suarum propensionem ad varia objecta diversimodè se mutantem.

VIII.

Quod si in spiritibus acidis nihil sit salis acidi,

acidi, multò minus in succo pancreatico natura dulci; huic n. tantum salis acidi incrit quam vel melli, vel saccharo vel vino. Destillantur ex melle, saccharo & therebinthinâ spiritus acidi, sed nemo s'agaci ratiocinatione nobis probabit id per quod spiritus hi acescunt, esse salem; aciditatem acquirunt vina ad corruptiōnem se disponentia, sed nullo argumento confirmabitur fieri id propter salem vino & acetomistum; nam ex hisce singulis qui granum salis acidi per artem eduxerit, huic salinam in medio mari erigemus columnam.

IX.

Præterquam verò quod falsum sit, quod succi pancreatici aciditas in sale acido tanquam non ente fundata sit, tñille ceteroquin habet hic difficultates quibus circumseptus est; saporem n. ejus semper esse acidum suspicio est, nam sepius observatur dulcis, semper ferme insipidus, nunquam summè acidus, & in statu sano non solùm deest ei activitas aciditatis omnis, sed qualitas etiam hæc omnino defideratur. Neque quicquam acidi è sanguine in hunc dirigi probari potest, hæc n. suspicionum maxima est suspicio: concipiatur illud acidum tam blandum ac mite quam possit concipi, nunquam erit tam mite ac blandum, quin naturæ sit prorsus inimicum.

X.

X.

Adeoque contra Helmondtium & omnes ejus aſteclas pronuntiare non vereor, nihil aciditatis in ſtatu fano perpetuae repperiri; omnia acida ſingulari inimicitia toti naturae adverſa; tota enim hæc in triplici ſuo conſiderata regno dulcibus videtur delectari, dulcibus nutriri, dulcibus conſtare; habent proinde ut metalla ſuam dulcedinem, vegetabilia ſuum ſaccharum, ita animalia ſuum lac & ſanguinem, quibus nutrituntur & constant, quibusque contraria ſunt & penitus adverſa acida. Acidi enim ſpiritus omnes metallorum nativam dulcedinem invertunt, vegetabilia deſtruunt, ſanguinem coagulant, corumpunt, motus & ebullitiones, fermentationes pugnas, in animali corpore ſtam̄ excitant, neque аſſumpta quidem intrà nos perſistere ad minimum temporis ſpatium poſſunt, quin à calore edomentur & dulceſcant.

XI.

Auſim dicere aciditatem in totâ naturâ corruptionis principium monſtrare & totius diſſolutionem. Sic vegetabilium ſucci putrefuentes aciditatis ſaporem & acorem præſe ferunt; ſic vina & cereviſiae ad corruptionem tendentes aſcēſcunt omnes; manifesto indicio, aciditatem primam ad corruptionem eſſe viam, & ob id toto genere naturę infenſam.

XII.

XII.

Nec video quā probabilitate statui possit cum Helmondtio acidum stomachi, & coctionem acidis perfici; cum enim dulcibus nutriamur & Hippocr. 6 epid. dicat justum esse prout se habuerit alimentum, ita & quod forinsecus est sequi, sintque adeò carnes nobis dulces, medulla dulcis, sanguis dulcis, glandulæ dulces, liquor nervorem dulcis, & iisdem, ut dictum est, nutriamur dulcibus, quibus constamus, nimirum unctuosa & dulci substantia per similem quoque humorū coctionem absolvī posse credibile est. Nec opus hic est reciprocis acidi & lixiviosi salis argutiis; prima sub dentibus coctionem remanente statim chylosum profert sola salivæ imbuitione subactum absque ullo acido, nec acido porro stomachi opus est; solo salivæ affluere, sola inquam salivâ, illo naturæ temperatissimo ac dulci menstruo, adjuvante præcipue calore innato præcipuo coctionis instrumento, in chylum converti possunt, nihil ad hanc rem conferentibus acidis & lixiviosis ut percigrinis naturæ hospitibus.

XIII.

Suspicor itaque tam confidenti commotus suspicione quam qui contrarium opinantur, nihil acidi in statu sano naturam tolerare; nihil acidi ad functiones feliciter absolvendas concurre; fatēte jam olim Hippocrate, omnia acida nervis

nervis inimica, imò toti naturæ esse inimica,
nec intra nos absque insigni alteratione posse
persistere ac morari. XIV.

Etsi vero aliquando acidus gustatus sit succus pancreaticus, et si talis per vitrum quandoque emulsus, nihil tamen arguit; profecto hæc ab externis sensibus nata suspicio facilè tolletur novâ suspicione, quâ suspicari possimus morbida fuisse membra, è quibus tantâ dexteritate de promptus hic succus, aut per moram cum alterationem ejusmodi subiisse, quemadmodum multarum & quidem momentanearum mutationum causas deberi videmus calori, frigori, moræ, motui, aeri Sic pituita per aërem inspiratum fit viscosa & acris interdum, quæ antea fluida & dulcis erat; sic acida intrâ corpus nostrum assump̄ta calore & motu dulcescunt; & qui vicissim succus pancreaticus exemptus calori & motui in acorem degenerare non posset & præsertim per moram, ut manifeste in extravasato sanguine apparet, qui acorem quoque contrahit per moram, dum particulæ ejus ad corruptionem se disponunt.

XV. Pluri ma quidem peregrina acida instatū præternaturali non negamus, sed hæc in naturali succi pancreatici aciditatem nullo modo præsupponere posse arbitramur; quod si enim ad præternaturalem statum oculi intendantur, infinita acorem demonstrarint, ex quibus non statim.

statim naturalis status conditiones inferre possumus, aut concludere semina acoris jam præextitisse in iis quæ de novo prius fiunt ac generantur præter naturam, non per apocrifin Hippocraticā, sed per totalem aliquam humoris transmutationem & particularum inversionem. Nec unquam eò nos inducet Philosophia intestinalis novâ opinionum & suspicionum suarum hæresi, ut statim rei inesse credamus, in quod illa præter naturam mutatur; sic enim in alimentis secundum naturam extarent semina lumbricorum, vermium, ascaridum, eò quod hæc nonnunquam in lumbricos & ascarides mutentur præter naturam, quare absurdissima est à p̄ternaturali statu ad naturalem argumentatio.

X VI.

Tandem qui humor pancreaticus omnes evaserit excrementi conditiones, qui pancreatica illa putrilago ad tantam puritatem exaltata erit ut ferè pro animâ altera haberri possit? qui sufficiens ille erit secundūm proportionem suam ad effervescentiam concitandam, cum non notabilis quantitate affluat, nec semper in intestinum delabatur? & qui effervescentiam ille causabitur, qui nullo spiritu acido imprægnatus est, & quid ejus à spiritu animali temperatura arguit, cum hæc non opus habeat, & per se dulcis sit? cur non comminiscuntur vel extollunt pari.

pari jute sūcum lienalem , cur non fingunt sūc-
eos cerebri & cerebelli mirabiles ne solum inter
stercora & mesenterium philosophentur?

XVII.

Prodit *bilis* alterum Triumviratus membrum,
tot quoque! Deus bone! opinionibus, suspicioni-
bus, dubitationibus, nota, concepta, plurimis-
que centauris, chymeris, sphynxibus, larvis
umbratilibus instructa , quibus si non monstro-
fius certe æquè absurdum est salem in hāc lixi-
viosum.velut fulminantem Jovem in custodiā,
haberi, spiritum volatilem mercurio similem,
oleum, lixivium, & paucam contineri aquam.

XVIII.

In primis sal lixiviosus plura involvit dubia
ratione principii, ratione salis , ratione lixivii;
salem enim hunc retorridum qualem calcina-
tio aut reverberatio exhibet diutina, principii
instar in animali corpore , in humoribus nostris
existere , & ad bilis compositionem naturaliter
concurrere nnnquam probari poterit. Qui ali-
quando salem lixiviosum ex cineribus sollici-
tarunt , & vi ignis plantarum combusserunt ci-
neres, id concedent, alkalia seu lixiviosa salia
solā ignis vi liquefactivā generari , produci, nec
formaliter anteā præextitisse , sed fieri creman-
do. Attalem ignem in corpore naturali reperiri
calcinationi & reverberationi sufficientem pro-
bent qui pro parte salis retortidi sunt , probent
quoque

quoque deinceps quā ratione hic sal separetur, filtretur, coaguletur, sublimetur, circuletur in nobis, & siquidem mero fornacum fumo inebriati & cinerum nube involuti sunt, ostendant quem in nobis putent furnum reverberatoriū, in quo ignis torturā incinerari possit bilis; nam salem quidem retorridum in incineratā & combustā bile concipient necesse est, non vero in naturali ac bene dispositā, eo quod hic ex incineratā tanquam ens novum ab igne prius produci debeat.

XIX.

Quod si objiciant salis lixiviosi existentiam in corpore manifestam, eò quod in urinā hic per destillationem facillimo negotio sequestretur, ut non opus sit magnā calcinatione; respondeamus salem illum urinæ diversum à sale illo retorrido diutinā calcinatione & reverberatione educito, qualis pro principio constitutivo bilis habetur; deinde, salem hunc volatilem acredinem suam & que ab igne potiri ac coeteralixivalia, quod sequenti experimento confirmo, si enim libræ aliquot urinæ exhalationi per solares radios exponantur, hec dulcissimos quidem exhibebunt crystallos & volatiles; destillata v. alium prorsus ab igne expressum acrem dabit salem volatilem & fixum quendam in foecibus relinquet, manifesto indicio, salem omnem lixiviosum solius ignis effectum, non vero apparere

apparere in urinâ, aut in eâ ante extitisse, nec in corpore animali posse concipi, nisi per magnam aliquam mentis alkolationem.

XX.

Plurimæ quoque difficultates ratione salis oriuntur, si consideremus salem hunc retorridum ut salem, an ille salis ac non potius lixivii mereatur nomen. Si enim sal Philosophis dicitur, cui corpus est simplex, quique proprietates saporem, colorem, odorem in igne servat illæfas; velut in sale communi videmus, utique ab hac quidem regulâ & normâ salis multum deflectere lixiviosum experiemur. Hunc enim, adeoque omnia lixiviala & alkalia ex quocunque etiam corpore educita, non esse corpora simplicia, sed composita & potissimum sui parte (ut germanicè verbum sonat) *al kaal* sequenti experimento probo. Aliquando enim quatuor libras salis tartari per triduum magno igne ussi, ut sali suum fluxum adimerem & aptius redde-rem extractioni. Finito labore duas libras & undecim lotones recepi, non in forma salis sed vitri sine sapore. Contudi & aqua affusa inde separavi terræ albæ libram unam & undecim lotones. Accepi salis libram unam, cui spiritus vini ru- bedinē extraxit remanente oleo nigro, quod solutum in fontana & filtratum multas nigras foeces deposuit. Solutio incocta novum sal dedit & illud novas foeces, donec ex illa tandem uncię

tres remanserint, quæ eodem modo potuissent in fœces nigras converti. Ex sale per spiritum vini extracto idem processus fœces nigras insipidas produxit, ut totum sal tartari nihil aliud videatur esse, quam talis alba & nigra terra combustibili falsedine ditata. Nullo ergo modo salem ab his fœcibus distinctum & liberatum obtinere potui, manifesto hinc eductus argumento, omnia alkalia esse corpora composita & terrea, & nulla ratione similaria. Deinde non retinent suum saporem & coeteras proprietates lixiviosâ corpora; si enim paululum intendatur ignis, ratione terræ ipsis adjunctæ vitrificationem subeunt, à qua nullus ad salinam naturam datur regressus, quod in sale communi videre non est: ut proinde hinc appareat, quam malè & incongruè sal lixiviosus appelletur, qui multum recedit à natura salis.

X XI.

Quæ præterea ad bilis constitutionem concurrent putantur, aqua nimirum pauca, spiritus volatilis mercurio similis, oleum, ut de his certus essem principiis, quod sequitur in bile experimentum feci, & ex bile bovina sex uncias cum dimidia pendente è vesica sua exempta, leni cinerum calore destillata accepi uncias quinque cum dimidia & drachmas duas aquæ insipidas; cuius quantitate statim docebar falsum esse, quod quidam se paucam saltem in bile aquam

aquam repperisset scribant. Aucticri deinde igne ascendebant drachmæ duæ spiritus volatilis; remanebat terra nigra, spongiosa, solubilis, & amara instar aloë drachmastres pendenscum dimidia. Hæc destillata fortè igne ex arena resolvebatur in oleum nigrum, crassum, duarum drachmarum pondus non excedens; remanebat terre nigrae drachma una & grana xvi, quæ usta & soluta in aquam dabat scrupulum unum & grana tria lixivii.

X X I I.

Quod si jam perpendamus hoc experimentum, quid in bile sit aut non sit, quidve opiniones vel suspiciones sint, licebit concludere. Aquæ imprimis parùm addunt retorridi pancreaticæ pro diluendo forte lixivio: sed perpetram dicunt lixivium ipsum paucâ aqua esse dilutum, cum maxima aquæ quantitas sit in bile; fuerunt enim lotones undecim & drachmæ duæ aquæ in destillata bile bovina, secundum quam proportionem in humana notabilem quoque aquæ quantitatem concipimus, de cuius usu aliter philosophandum fuisset; quid enim opus tanta aquæ copia, nimirum undecim lotonibus & drachmis duabus, pro diluendo scrupulo uno & granis tribus lixivii (malè enim salem lixiviosum id est lixivium ipsum dicunt) superaddunt spiritum volatilem, & mercurio hunc assimilant, nec exponunt proprietates hujus mercurii,

mercurii , qua in re conveniat & qua item distinguitur à mercuriis reliquis , nam varius ille diversis rebus naturalibus inest. Admiscent quoque oleum, eò quod flamمام bilis concipiatur, quam deberi oleo opinantur , suspicantur; at vero drachmæ duæ olei sex uncii aquæ dilutæ ardebant adeo vel incendentur? mirum sane; potuissent, ut facilius flamمام conciperet bilis, statuere in ea butyrum, aut assumere inter principia sua picem vel combustibilem aliam substantiam. Sed quale genus olei in bile consti- tuunt? quod ego quidem destillatione accepi fuit nigrum & crassum, ut ipse dubitaverim, anne hoc principium ex aliis adhuc principiis facerit constatum ; cuius porrò cum sale quæ mixtura? an quod terra illa nigra spongiosa instar aloë americans in aqua solveretur id magis per oleum siebat quam per saltem? puto per oleum ; nam terra residua ab oleo suo separata non erat solubilis. Ubi demùm sal retorridus; ubi ille repperitur? fortè in cerebro inter opinionum ac suspicionum dumeta natus ac conceptus est; quid hoc parum arguit lixivii scrupulus unus & grana tria , quibus multò adhuc minus in nobis erit? credemus ne granula aliquot lixivii sufficiere tantis tumultibus & effervescentiis excitandis, credemus ab his pendere mirabiles bilis & in corpore & extrà corpus operationes? Hæc

faltem exponenda essent clarius & absque suspicione illis, quibus credenda haec mysteria, ne haberentur pro entibus rationis, pro mentis alkolationibus, pro illixiviatis suspicionibus, pro vocabulis nudis.

XXIII.

Pituitosum humorem tertium Triumviratus membrum, quem naturaliter & quidem semper in intestinis tenuibus, ad quae defertur bilis, contineri statuunt Triumviratus patroni, (quamvis quoque non semper appareat, nec adeo multis exemplis in praxi ejus existentia confirmari possit) non omnino negamus; quem admodum negari quoque non potest bilem per meatum choledochum ad intestina profluentem ei saepius secundum naturam misceri; id enim docuerunt & veteres.

XXIV.

Nec dubitamus admodum, quin bilis affluens chylo in intestinis novam aliquam fermentationem excitet, quamvis certe non adeò multum fermentationis opus sit addi chylo in intestino, utpote qui fermentationem sui naestus in ventriculo nondum eam deposuerit delatus ad intestina.

XXV.

Omnem vero effervescentiam, ratione salis lixiviosi & acidi, negamus, hosenim in corpore non existere cum sufficienter demonstratum sit,

fit, omnis eorum effervescentia quoque despumata est, neque sunt amplius, in statu sano, motores humorum & sanguinis, caduntque virtutes & munia triumviratus, ex quo tandem anima deducenda foret, uti suillo generi salem pro anima datum dixere veteres.

X X V I.

Ex quibus igitur allatis agnoscant Triumviratus patroni & structores, quam hujus stabilis ac firma construes, qualis perpetuitas fit cœli hujus intestinalis, & in eo depicti trianguli, quam firmo cerberus eorum triceps innexus fit fundamento. Affundant plus in posterum aquæ lixivio & bili, ut præsertim mitescat spiritus ille acidus, quo effervescente ejusmodi monstra orbis obtrudunt; quantis per firmioribus adminiculis Triumviratum, & in eo effervescentiam intestinalem non firmaverint, rebus in Medicina novis moliendis, aut antiquis obruendis, ineptus erit.

I. **V**Na anima eaque tota in qualibet parte, unus spiritus gubernant corpus; ac easdem, quandiu vivit animal, edit operationes, unico spiritu vitali adiuta, modo eadem habeat instrumenta decenter conformata.

II. Unicus liquor est in venis & arteriis sanguis, humor unicus, qui nec aliis circa viscera, nec aliis in habitu corporis deprehenditur.

III. Non lac lacti æquè simile est, ac lac ipsum fanguini in essentiâ ac materiâ defertur quoque ad mammis per arterias thoracicas, non per nervos; colore vero album à fermento dulci acquirit mammis innato.

IV. Quod sanguini innatæ, antiquis putatum serum, liquor est sanguini similaris; ejusdem est cum sanguine naturæ, promptè suprà ignem coagulabilitas, iisdem constat partibus quibus sanguis; eundem etiam cum sanguine obiigneret colorem, si modo per digestionem caloris sufficientem maturatus esset.

V. Ipsa rubedo in sanguine non essentialis est sed accidentalis; hanc n. sanguis à colore tantum & motu acquirit, nihil ad hæc conferente viscerum fermento, adeò que ab assumptis variè alterari potest sanguis, quemadmodum observatum est in iis, qui multo lacte usi fuere ad curandam podagram, ex quorum venis lacteus sanguis est extractus.

VI. Non bilis, non pituita, non melancholia essentia liter ac distinctim in sanguine sunt, nec sunt ejus partes constitutivæ, sed cruoris saltrem recremata, quæ continuò ab ejus massâ separantur. Qui n. sanguis ex iis constaret, quæ natura ab illo separanda studiosè curavit; quin ex illis potius confatur particulis, quibus in partium nutritione opus est.

EPIS-

EPISTOLA AMICI ad AMICUM.

Ir Clarissime.

Vquo die nuper mihi significabas, Medicum quendam Parisiensem contra Clar. Sylvii Triumviro Intestinalem edidisse librum, non multæ doctrinæ, sed multi sermonis, eodem aliud agens incidi in Disputationem Inauguralem Groningæ habitam, qua idem ille Triumviratus, vulgo nunc ita dictus, misere vexabatur. Subiit statim animum cogitare, chartas quas videbam, forte novi Phœnicis, non Arabis quidem, sed Groningenensis cujusdam, atque ex nupere defuncti cineribus reseminati prænuntiata esse: sed & memoriâ tenebam illud Seneçæ in Epistolis, *Natyrām eximia ipsā raritate commendare, magna non nisi ex intervallō generari, Phœnicemque semel anno quingentesimo nasci.* Condemnavi itaque priores cogitationes, magisque confirmatus sum me male suspicatum fuisse, postquam unam atque alteram Disputationis paginam legi. Humilem ubique & ferè implumem deprehendi alitem, pennisque nondum subnatis nequicquam alas concutientem: Et tamen ex obscuro plumarum, quæ hinc inde excréverant, colore, facile colligebam, non esse ex nobilium avium genere, nec mereri quæ pro Groningenensis illius sobole habeatur. Qualis qualis Groningen-

sis ille fuerit, quantis etiam cunque erroribus obnoxius, hec sane laus ipsi sine injuria tolli non potest, ingenio valuisse, instructumque fuisse eruditione & doctrina, non solidâ quidem multum illâ, atque in homine Philoso-
pho expetendâ, multifariâ tamen, & collecta-
neâ, suffultaque memoria illarum rerum, quas ex assidua variorum librorum lectione tumul-
tuariè hauserat, quę quidem nunc ferè sola a-
pud doctos obtinet. At noster ille qualis est?
Hominem dicas sine ingenio, sine arte, sine
literis, judicantem de rebus quas non intelli-
git, insultantemque in immerentes sine acu-
mine ullo, sine auctoritate, sine lepore. De
modo ejus scribendi obscuro confusoque,
quod quidem Doctrinam spectat, nunc nihil
dicam. Dicam tantum, illum nec intelligen-
ter, nec Latine', nedum ornate, scribere, tur-
pesque Barbarismos, pravas vocum constru-
ctiones, ineptas plane atque ridiculas transla-
tiones crebro intercurrentes, Contradictiones
denique, Paralogismos, Conclusionesque ma-
le deductas, hujusque generis alia in Scholis
discenda, satis arguere, illum, qui scripsit, à te-
neris Grammaticam, Rheticam, Logicam,
caeterasque artes humaniores, ut inutiles atque
infra se positas, despexisse, & breviori, magis-
que regia, si Diis placet, via ad sublimiora stu-
dia à suis deductum fuisse. Possem pluribus
pro-

probare quæ dixi : Sed nimium temporis ponendum mihi esset in partium singularum deductione , & properandum mihi præterea est ad alia majoris momenti . Pauca tamen addam , ne gratis hæc dixisse videar . Pertinet huc *Triumviratus defendenda* in frontispicio . Proœmium per Æ. p. 1. Saltem pro Tantum , passim , Quoad , pro Quodad , Causare pro efficere , Th. 16. instar cum Nominativo , ut *instar aloës* bis Th. 21. & 22. ne quis in Typographum culpam rejetiat , Pancreatica Putrilago Th. 16. Construes pro Strues Th. 26. *dixeris* , & *sequeris* , pro *dixeris* , & *sequutus fueris* , Th. 1. in fabulas transcendere in proœmio , *Socrati tributum àutòs iΦα* , quod Pythagoræ debebatur , ibidem : ut & *Mentis Alkolisationes* , *illixiviatæ Suspiciones* Th. 22. & similia plura , quæ sciens prætero . De Ingenio ejus hoc sine affectu affirmare possum , aut nullo unquam illum præditum fuisse , aut adeo hoc infelici scripto periclitatum (vid. Proœmium in fin.) ut plane mihi perdidisse videatur . Judicium porro vellem ad scribendum attulisset , non usu multo , multaque arte confirmatum , (frustra enim hoc in illo desiderarem ,) sed tantum , quali homines plebejos naturali quodam instinctu instrutos videmus , & sine quo ne levissimæ quidem res , atque obviae in vita recte administrari possunt . Ecquis è vulgo tam abjectæ est

mentis, quin intelligat, turpe atque indecorum esse juveni, sine causa, sine necessitate ulla, in *Iuniores*, ut ille appellat, aetate tamen, punto etiam doctrinâ, illum superantes, invehere, veterum Medicorum, qui tamen nec læsi sunt, nec de quopiam conqueruntur, causam contra illos agere, vanitatisque, nugarum, & crassissimæ inscitiæ arguere, quæ illos adigat, *ut Collegia Doctorum virorum fugiant, ut saltem Consultationibus, & doctis ex institutionibus Colloquiis sese subtrahant, &c.* (vid. Proœm.) In *Gives* suos, Vir Clarissime, hæc in primis dicit, quibus præ aliis nocere cupit, & propter quos solos tantas iras concepisse videtur. At qui scis ipse, nos & in Academiis, & hinc inde in itinere Hamburgenses novisse, doctos sane, qui que doctissimorum Virorum colloquia non modo non fugerent, sed omni studio atque opera, nec exiguis saepe sumptibus, variis in regionibus, quaererent; cum, ut mores & ingenium ex præstantissimorum virorum conversatione erudirent; tum, ut si quid ubique doctrinæ apud singulos lateret, quod haec tenus literis nondum consignatum esset, expiscarentur. Et tales quidem nunc forte male tractantur ab imperito juvne, qui claudi instar sutoris semper domi latitavit nulli cognitus, totaque vita tantopere sibi à luce metuens, ut ne publicis quidem Praeceptoribus uti voluerit, nisi ex quo

in Chilonensi Academia per Semestre spatiū vixit, nullo certe suo cum honore, si vera sunt quæ ab aliis, qui hominem ibi noverunt, pro veris accepi. Sed hæc levia sunt, nec continet se in tam angustos limites juvenilis temeritas, & maledicendi libido. Viros toto orbe ob præclare merita notos, & publicis dignitatibus fungentes aggreditur, his litem movet, hos Novitatis Magistros appellat, atque ut *Iuniores* quosdam Medicos, quorum famam tantopere perditam cupit, magis proterat, celeberrimam Academiam detestandi criminis tacite accusat, quod nempe aditum concedat ad supremum fastigium Medicinae evolantibus, qui Veterum rebus neglectis vel dimidio anni spatio Cursum Pancreaticum absolverunt, qui-que interrogati de vera morborum Essentia, de veris partis affectis & morborum signis, de quo tempore & modo exitus morbi, magis muti sunt quam pisces, nec quicquam, preter recitatam pugnam intestinalem, norunt, adeo ut, si Cassio credendum sit, Clariss. Dom. Professores contra conscientiam juramentique fidem, insciis, artisque, quam profidentur, ignoris hominibus publica auctoritate potestatem faciant, miseros ægros impune male tractandi, multorumque vitam & fortunas in summum discrimen adducendi. Non tanti, puto, facient Reformatorem nostrum, prudentissimi Viri, ut

in illum serio, uti quidem possent, velint animadvertere. Nec enim Aquia solet captare muscas, & præterea pueris, & mente destitutis, impune semper fuit dicere quæ vellent. Tèdet me hisce amplius immorari, & cum nihil in hanc rem dici possit, quin dictum sit, quodque ab affectu nimio videatur profectum, malo nihil dicere, atque evitare suspicionem criminis, cuius non videri tantum expers tibi affectuum inimico, sed & esse cupio, eademque animi moderatione utar in examinandis argumentis illis, quibus adversarios suos refutare conatus est.

Atque hic primum mirari facilitatem Aristarchi nostri satis nequeo, qui prioribus tribus Thesibus tam comiter tractat, quos reprehendere instituit; atque ipse met fatetur, Recentiores, quos vocat, non tam re ipsa à Veterum doctrina recessisse, quam voces atque loquendi modos sine necessitate, ut putat, mutasse. Quid, quod ineptissimam, meo judicio, Analogiam à Triumviris Romanis ad tres Humores præcipuarum, quæ in Intestino fiunt, functionum arbitros deducat, non tantum non ineptam judicet, sed, quæ ingenii ipsius est fertilitas, illam ulterius augeat, jamque sibi etiam inter Stercora Capitolium erigat, Antoniosque, Augustos atque Lentulos, Palatii moderatores inveniat, cum tamen à Viris cordatis, & scientiam quærentibus futile ejusmodi

Tran-

Translationes evitari deberent, quippe quæ nihil elegantiae aut utilitatis in se habent, & præterea Orationem deformant, mentemque intricant, atque à seria cogitatione aliò abducunt. Atque ut hoc in transitu dicam, non sine injuria videtur mihi Clarissimus Sylvius, qui que ejus Sectatorcs creduntur, *Triumviratus Intestinalis Auctores* dici. Neque enim memini in illorum scriptis de Triumviratu tali verbum extare, præterquam quod Cl. Sylvius Prax. Med.l. r.c.8. §. 2. *Triumviratus* Vocabulo utitur attamen correctione istâ subjunctâ (*si terminis Helmontianis impune utiliceat*) ex quo non obscure apparet, ipsi adeo non similes loquendi modos placere. Deinde adhuc c. 11. 3. ex Bile, Succo Pancreatico, atque Pituita ortum Humorem, *Triumviralem* appellat, quod valde dubito, an in omnibus ejus scriptis semel adhuc aut bis occurrat. Vide sine, *Vix* Clarissime, ut levem nungandi occasionem arripiant, qui verborum luse delectantur? Sed ut ad illud redeam, unde paululum digressus fui, quis est, qui non videat, Cassium in Recentioribus culpare, quod quisvis alius, rerum gnarus & æquitati studens, illorum laudi dant? Agnoscit Cassius, *Bilem*, *Pituitam*, atque *Melancholiam*. Veterum Causas Morborum *Bilem* nempe ex folliculo Fellis profluentem, *Pituitam* intestinali inhaerentem, succumque Pancreaticum

um Melancholiam emulantem: Fateatur ergo etiam necesse est, nisi iniquus plane sit, aut stupidus, Recentioribus hanc referendam gratiam, quod forte detexerint, ubi Melancholia illa Veterum tot absconsa seculis lateat, ubi & quomodo acescat, & qua tandem ratione illius, ut & Bilis & Pituitæ Corruptiones concipi possint. Nam quod Cassius illis in fin. Th. 16. objicit, cur non æquè extollant *Succum Lienalem*, quam Pancreaticum, hoc lepidus certe est. Vult ratiocinatione complectiri, quam nec ille, nec aliis quisquam haec tenus monstravit. quæque majori fortassis jure Ens Rationis, & Non Ens diceretur, quam quædam ex illis, quæ ipsi hoc nomine veniunt. Quod vero d. I. vult illos comminisci *Succum Intestinalem*, hoc vero nimis bonus est & liberalis. Sciat, non istam illis ab Apolline concessam gratiam, ut Poëtico quodam cœlio impulsi fingere possint & comminisci, quæ Natura negavit, vel saltem haec tenus nobis abscondidit: Sciat, malle illos hanc laudem Cassio propriam, quod mirifico indulgens ingeniores, quas esse non vult, licet reverâ existant, & manibus tangi atque palpari queant, philosophando è natura rerum proscribat; alia vero, quæ vel nullibi sunt, vel saltem haec tenus ignota, stupendo ausu in medium producat, & concipat animo, quæ captum quemvis alium superant. In his sunt *Anima ejus in qualibet*

parte tota. Cor. 1. Fermentum dulce mannis innatum. Cor. 3. Liquor Nervorum dulcis. Th. 12. Metallorum nativa dulcedo, Vegetabilium Saccharo, Animaliumque Lacti, ac Sanguini respondens, quo nutriuntur, Th. 10. Succus Lienalis praeternaturaliter in Liene acescens, Th. 3. & 16. & similia alia, ne dicam de Calore ejus Innato præcipuo Coctionis instrumento, Th. 12. ut & de variis ejus Qualitatibus & Viribus, quæ omnia cum nec explicet commoda & notionali Definitione, nec quid sint, aut quomodo agant, exponat, non nisi pro figmentis, & nudis simulacris habenda sunt. Porro, cum dicit, Melancholiæ praeternaturaliter acescere in Liene, debet hoc intelligere aut de Melancholia in Liene in propriis vaiss fluente, (quod haec tenus quidem fitium est) : aut de Melancholia cum Sanguine confusa; tertium enim non datur. Quod si hoc, debet naturaliter Melancholia esse in Sanguine, saltem in illo qui in Liene est, quæ praeternaturaliter in eodem acescat, quod tam Corol. 2, & apertius Cor. 6. negat, & deoque sibi contradicit. Nec excusat illum, quod Cor. 6. videatur velle, Melancholiæ naturale Cruoris recrementum esse, quodque continuo ab ejus massa separetur. Nam & sic debet ostendere receptacula, in quæ secernatur, etiam naturaliter, uti veteres ostenderunt Vesiculam fellis pro Bile, Ureteres & Vesicam.

pro fero. Nam Pituitam quod expurget, nullum, ait Gal. lib. 2. de fac. nat. cap. ult. Naturam instrumentum condidisse, cum non evacuari, sed in corpore manens alterari desideret. licet loca non defint apud Hippocrat. uti lib. de gland. t. 5. & l. de carn. t. 4. & in primis l. 4. de morb. cap. 2. que Galeno contradicunt: omnisque haec res ortum habeat ex eo, quod humor crudus, cum Pituita proprie sic dicta, se confundatur. Debet preterea probare, cum Melancholiam a sanguine separari, adeoque in sanguine existuisse, dicat, non fuisse illam in sanguine ut Partem in Toto, atque ostendere, quomodo in illo fuerit, cum *Inesse in aliquo multifariam* dicatur. Pituitae autem, ut & Bilis Corruptionibus illis, miror, quomodo adeo sibi satisfacere possit Cassius. Quamvis enim Corruptionis vocabulum, quo ille, casu puto, non consilio, utitur, cum Medicis vulgo Putredinis vox sit frequentior, non adeo aequivocum sit, ac est illud Putredinis; cum saepe non constet, an Corruptio que Corporibus accidit, Putredo sit, an alia Corruptionis species: attamen cum res multis modis possint corrupti, necessarium plane erit Medico, qui intelligi cupit, determinare in quo differat Corruptio, ex. gr. Melancholiae que Maniam excitat, ab illa, qua Febrem Quartanam, Morbum Hypochondriacum, Scorbutum, &c. producit; &

præterea , cum ille per Corruptionem nihil aliud intelligat, quam quod veteres Medici, cum de Putredine , quam à Peripateticis per manus acceperunt, loquuntur; dudum certe discere debuisset, nisi aliunde, saltem ex Cl. Jungii Doxoscopiis Physicis, (cujus summi Viri libros &c scripta D. D. Cassium Junioris nostri Patrem domi suę servare audio, illustriori loco & regiis quibus cunque Gazophylaciis dignissima), Putredinis Peripateticę Notionem nullo modo distinctam, sed multis ambiguitatibus esse obnoxiam , diversas mutationum species illā comprehendi, plerasque, quomodo fiant, ignorari, ideoque antequam distingui, definiri, dividi, uno verbo antequam intelligi possint, accuratas potius observationes, quam Textuum Aristotelis, & Galeni Conciliationes requirere. Quod si hæc ita se habent in corporibus simplicioribus, & minus forte artificiose constructis, ut sunt variæ Vegetabilium Partes, quid statuendum erit de Humoribus Humani Corporis, quos verosimile est magis esse compositos, & hinc pluribus modis corruptioni obnoxios? Putandumne, opprobrio dignos, & pœnam meteri, qui inanibus vocabulis, nihilque significantibus non contenti, Humores amplius examinant, illorum Mutationes varias scrutantur, &, si fieri possit, rationem ostendere conantur, qua mens nostra illas, atque Functiones Naturales, Morbosque inde

inde oriundos, intelligere possit atque concipere? Nam ex illis, quos Cassius oppugnat, nemo fuit, aut si quis fuit, sibi hoc, suoque damno fecerit, qui aut ipse crediderit, aut aliis credendum proposuerit. Mutationes illas necessariò tali modo à Natura fieri, ac nos concipimus. Cui enim datum est, aut cui posthac dabitur, in abdita Naturæ Sacraria irrumpere, & proprius intueri, quid, & quomodo Sapientissima Fabricatrix agat? Componimus ipsi, misceamusque plura corpora, idemque à Natura fieri videmus, unde alia rursus Corpora emergant. Sed videmus, sicuti in Theatro fieri solet, quæ fas est spectatorum oculis exponi. Reliqua, & secretiora magis intus peraguntur, nihilque Curiositati nostræ relinquitur, praeter libertatem circa ea, quæ videmus, ratiocinandi; habeturque ille pro Sacrorum istorum gnaro & intelligente, non qui scit quomodo quid fiat, sed qui, quomodo fieri possit, quod videt, clarioribus & magis perceptilibus modis concipit, conceptumque verbis propriis & distinctis, aliis exponit. Hoc totum nostrum scire, eò se extendit nostra ambitio. Majora sibi imaginari, & votis petere, arrogantis efflet, & humanæ sortis oblii. Satis fuit ingeniosissimo Cartesio, Hominem suum, aut potius Hominis Machinam, excogitare, quæ functiones omnes obire possit, nequaquam,

ne pes

ne per vota quidem, sibi promittens, illas in nobis ita perfici, ut ille in Machina conceperat. Sed hoc facile concedo Cassio, quod non intellexerit. Subtilius enim est, quam ut à quopiam comprehendendi possit, qui Philosophiā non imbutus fuerit. His vero jam magis insurgit noster, jamque etiam Propositiones promittit, illius Methodo Scientifica dignas.

*In Corpore nostro nullus est sal Acidus,
nullus Retorridus vel Lixiviosus*

*In Corpore fano nil perpetua Aciditatis
reperitur.*

Ratione Salium nulla in nobis Effervescentia excitatur.

Principia quæ putantur, Bilia, & Succus Pancreatici Constitutiva non sunt Principia. Enī Tibi Scita Philosophi nostri. Sed pace illius licet mihi dicere, nugarum esse plenissima. Ut nunc non dicam, superfluum esse negare, nullum esse salem Acidum Lixivum ve in Corpore nostro, cum quis Nlos ē Natura omni sustulerit; ambigua præterea est prima Propositio, ut reliquæ omnes. Potest enim, si quis Sophistam velit agere, ita intelligi; Nullum esse Salem in Corpore nostro purum, talemque qualis ex rebus Chemica arte extrahitur: vel, Ex partibus Corporis nostri nullum Salem Acidum, aut Lixivum, ulla arte posse extrahi. Sed fraus ista tam crassa est, ut à quovis statim

dete-

detequantur. Si enim priori modo intelligat, ut ita intelligere apparet ex Th. 18. aliisque, nullum habet contradicentem: sin posteriori modo, falsissima est, etiam ipso Cassio consentiente, licet deinde videndum fuerit, an Corpora illa, quæ hactenus Salia dicta fuerunt; Salia sint, sicque recte in posterum dicantur, quæ quidem Controversia alius erit loci. In Secunda luditur in vocibus *perpetuae Aciditatis.* Defendam contra Cassium, & contra quoscunque voluerit, perpetuò Acidì aliquid esse in Corpore nostro: Sed istud Acidum perpetuum esse, nec consumi, adcoque non opus habere in cujus locum aliud reponatur, hoc vero non putaverim ulli unquam in mentem venisse. Tertiam libenter concedo, ipsius Definitionem Salis sequutus. Sufficit enim illum Effervescentias in Corpore nostro concedere, recteque habebit omnis Sylviana Theoria. Cæterum an illæ ratione Salium excitentur, sive aliarum rerum, non magnopere opus est excutere, cum, si ille nolit Sales appellare Corpora, quæ reliqui ita appellant, utrisque punto hoc integrum esse, nec facile decidi posse. Ultima Propositio nullo modo ferit illos quos petit. Etsi enim maxime concedamus, ex Bile & Succo Pancreatico posse obtineri omnia illa quæ Sylvius vult, tantum tamen abest, ut propterea illa Bilis & Succi Pancreatici

tici Principia Constitutiva esse quis voluerit, ut ne Principia quidem sint proprie sic dicta, cum Corpora illa simplicissima non sint, & præterea non necesse forte sit, aliquid ex iis compositum esse, in quæ resolvitur. Puto me conteisse totum negotium, nec alia refutatione opus esse. Et tamen cum inceperim, quod superest Disputationis, pertexam, ostendamque, ea, quæ ad illustrandas Propositiones præmissas addita sunt, obscuriora esse, quam ut illis quicquam lucis adferre possint. Sed priusquam ad Controversias circa Salem motas pergo, operæ pretium fuerit, illius Definitionem examinare. Habetur illa Th. 20, cum in initio Disputationis ponenda fuisset. *Sal*, inquit, Philosophis dicitur: At, quid dicitur, Cassi, loquere; nullum enim Definiti genus addiderunt Philosophi tui. Libenter in tui tuorumque gratiam intelligerem vel *Eas*, vel *Corpus*, vel tale quid, loco Generis positum: sed obstat Pronomen Relativum Masculini Generis, monetque *Salem* intelligendum esse. Atqui sic in posterum tuo exemplo Logicis facilior erit Definiendi labor, jamque Arborem definent per Arborem, Animal per Animal, atque ignotum per æque ignotum. Sed transeat hoc cum cæteris erroribus. Qualis ergo tandem erit tuus iste *Sal*? Erit, inquis, *Sal*, cui corpus est *Simplicis*. Hoc solum satis erat, ut efficeres, audacter

à Te negari posse, ullum esse Sal sive Acidum, sive Lixivum. Ex omnibus enim, quæ hactenus nota sunt, Corporibus, nullum est, de quo dubitari jure non possit, an simplex sit: Nec tamen hoc Tibi sufficit, sed addis; *qui que proprietates omnes, saporem, odorem, Colorem in igne servat illæfas.* Nec talem, fateor, novi Salem, cum omnes hactenus cogniti repetitis solutionibus, Coagulationibus, & Ustionibus non parum mutentur. Sed affers in exemplum *Sal Commune*, credo, ne omni Sale Disputatio tua destituta videatur. Attamen, mi Cassi, vide, quid dicas. Nonne *Sal Commune*, quando torretur, strepitum, quem edit, indicat, illum mutationem aliquam subire? Nonne, qui antea facilius fundebatur, deinde fusioni minus aptus est? Nonne, quod omnes sciunt, tostio illa tantum potest protrahi, ut *Sal* destillationi commissus minorem inde *Spiritus* copiam largiatur? Quid est proprietates tuas in igne perdere, si hoc non est? Post ista supervacaneum est, tecum disputare, an Sales dentur non in Corpore tantum nostro, sed in fœta Natura. Sed tamen alias adhuc argutias addis, & falsa falsis cumulas. Non morantur jaui me, Vir Clarissime, quæ Th. 5. & scqq. sine ordine congeruntur contra Acidis Salis Existentiam, cum in tota Natura, tum in *Succo Pancreatico*. Nulla est, quam sibi facit Cassius, difficultas, cuius gene-

gen̄ris sit Sal Acidus, & quomodo à vulgari Chemicorum Principio distinguatur. Horum enim Principia, ita illis dicta, hactenus nequam in certas distinctasque classes divisa sunt, Salisque nomine illis diversissima veniunt. Nobis autem hactenus erit Sal Genus, ejusque Species Acidus, & Lixivus, quibus aliæ species addi poterunt, ubi cognita corpora fuerint, quibus Generis Definitio competit, ab Acido autem & Lixivo diversa sint. Ludicum porro est negare Sales Acidos, eo quod ante Helmontium nulli Philosophorum aut Chemicorum ejus mentionem fecerint. Sít hoc: quid tum? Referatur ergo ista gratia Helmontio, qui nobis è tenebris illum eduxerit. Sed & falsum est, Helmontium primum de eo loquutum. Nam si vel Sennertum inspexisset l. de Conf. & Diff. c. 9. p. 171. vidisset, illum jam de Sale Aceri, Aluminis, Vitrioli, loquutum fuisse, atque ita appellasse illud, per quod res istæ sapidæ sunt. Ut & ejusd. l.c. 16. p. 266. ubi, postquam dixerat, Acrimoniam Salium non tam tolli per pinguis, quam per Sales, adducit pro exemplo duorum Salium ita invicem sc̄e contemporantium, Spiritum Vitrioli, & Salem Tartari; & paulo post, eundem Salem Tartari, & Mercurium Sublimatum, qui tamen non nisi ob Spiritus Acidos junctos corrosivus est, adeo, ut istos Spiritus Sennertus pro Salibus habuerit,

buerit, aut, quod vero sim ilius, Salinis corporibus abundare crediderit, quæ utraque ratione Sales Acidos conesserit. Quid quod Sala dicat Proc. de Aur. potab. p. m. 268. *Sal Corrosivum* illud quod est in aqua Regia, quæ cum acidissima sit, atque ob aciditatem metalla corrodat, idem est, ac si Sal acidum dixisset? & Vigenerus libr. infra adhuc laudando de Sale & Igne, p. 243. afferat, nihil esse *Corrosivum*, quod non sit *Sal*, aut ejus naturæ, adeoque inter attributa Salis vesci numeret, quod fit *Acetosus*. In Gallico est vox *Aceteux*. Ut alios Auctores præteream. Quis autem ferat Th. 6. Sales Essentiales vulgo dictos, verbi gr. *Sal Acetosæ*, non tantum non amplius esse Sales, sed Vitriolo & Alumini Cognata, & tantum Saliformia Corpora? Agnoscit esse *Saporem Salinum Acidum*, hoc est, esse quædam *Salina Acida*: sed non vult Aciditatem Sali adscribi. Dicat ergo in quo consistat illa. An nuda est qualitas, an qualitas cum corpore sumta, & à Sale diversa? Neque etiam, quid sint Saliformia Corpora intelligit. Vocem à Clar. Jungio videtur didicisse, mentem vero non est assequutus. Est illi *Saliforme Syncrime Corpus*, quod ex Corpore per Spiritum Acrem corroso ita constitutum est, ut illi Salis medio modo dicti Definitio competit. Hæc Notio Chalcantho & Aluniini convenit. Illud ex Spiritu acri & Metallo, hoc ex eodem

eadem spiritu, & Lapiде corroso oritur. Quid his vero commune cum Salibus Essentialibus, & speciatim cum Sale Acetosae? Ubi Spiritus Corodens? ubi Corpus Corrosum? At, inquit, ex diversis Principiis sunt conflata. Concedo, non esse prima Corpora, nec etiam Sales strictissime dicti id fuerint. Relinquant destillati multum Capitis mortui (quod tamen nondum adeo constat) illud tamen, quod relinquunt, longe diversum est ab illis Corporibus, ex quibus Alumen & Vitriolum constant. Sed alia est difficultas. Licet Sales quidam destillati Spiritus Acidos fundant, male tamen quis ex horum aciditate Acidum Salem conceperit, cum ex Vitrioli, Salis Communis, Mellis, Sacchari & Aceti Spiritibus Substantia, Salis Acidi Saporem & Naturam referens separari non possit. Urgens profecto argumentum! Sed tamen Cassio satisfaciemus, ubi nos docuerit, quæ illius saltem judicio sit natura Salis Acidis, & quis sapor. Nam alias, quicquid nos produxerimus, illi semper erit facile negare, illud Salis Acidi Saporem & Naturam referre. Interim hoc tantum dicam, non impossibile esse separare ex Spiritibus Acidis Corpora conflectantia, & Crystallos sine ulla additione Corporis alicujus, quod Spiritus figat, & cum illis coalescat eo modo, quo Cassius metuit. Præterquam enim, quod Nobil. Boyle

Boyle in Append. Chem. Scept. p. 258. modum
edoceat Salem ab Oleo Vitrioli separandi : dili-
gentissimus etiam Glaserus, & si quis alias ha-
rum rerum peritus, Parisiis ex Aqua forti obti-
nuit Crystallos ; relatumque mihi est non se-
mel à viro fide digno , inque Batavia nostra ob-
artem , quam profitetur , celeberrimo, ex Spi-
ritibus Acidis sponte sœpe scerni Crystallos du-
rissimos , ad latera fundumque vitri concref-
centes, eodem plane modo , uti Spiritui Salis
Armoniaci accidit , de cujus Crystallis alias , fi-
rechte memini , apud Te disserui occasione La-
pidis Helmontiani , quem ille in Spiritu Uri-
nae sponte concrevisse scribit. Magique addu-
cor ut illud pro vero habeam , cum Nobil. Boy-
le idem referat Histor. Fludit. & Firmitat Sect.
54. de Oleo Vitrioli , cujus Crystallos sponte
concrecentes adhaerescere vitri Lateribus de-
prehendit , qui deinde aéri expositi in Oleum
Vitrioli liquefcentes abierunt. Sed demus , ex
omnibus illis Acidis liquoribus nihil Salis Acidi
posse per artem educi , demus id , per quod ace-
cunt , non esse Salem : illud tamen negari non
poteat , Acidos Liquores quosvis cum Salibus
Lixivis effervescent , motuque illo Sales istos
Spiritibus Acidis imbui , & condensari , ut Cas-
fiana Phrasit utar , nihilque potest motum illum
ex Acidis liquoribus remanere præter aquam
insipidam. Vid. Th. 7. Atque hoc ipsum , quod
ita

ita cum Lixivis Salibus concrescit, quodque Acidis liquoribus demtum illos insipidos reddit, sive illud Sal sit, nec ne, uti omnibus Acidis Liquoribus inest, ita nec succo Pancreatico Acidio inesse negari potest; quo evicto Cassius frustra Adversarios refutare laboraverit, constabitque sibi Recentiorum Doctrina, rumpantur ut Ilia Momo. Esse autem Succum Pancreaticum Acidum Experientiis constat pluribus, testibus & fide dignis cōprobatis, nec Cassii argumenta evertent, qui nunquam vident. Falsum est, *illum sapienter obseruatum dulcem, semper ferme insipidum*; falsum est, *in statu sano non solum deesse ei Activitatem aciditatis omnis, sed qualitatem etiam istam omnino desiderari*, (considera hic, fodes, ineptissimam expressionem & phrasin,) falsum denique est, *non notabili quantitate affluere, nec semper in intestinum delibi.* Th. 16. Argumenta vero, quibus contra Aciditatem Succi disputatione nullius momenti sunt, etiam si Experiencia non refellerentur. Non potest, inquit, consipi Acidum tam mite ac blandum, quin Natura sit prorsus inimicum. Itane? Cur ergo Acidia cum Alimentis mediocri quantitate assumpta non tantum non nocent, sed & prospicunt? Cur à Medicis quibuscumque, & cujuscumque Sectæ cùm adjuvandam ventriculi, viscerumque concoctionem, tum sape ad alterandum, robo-

roburandumque quotidie cum successu dantur? Cur non tantum in febribus ardentibus, variis
 que morbis, sed & in sanitate, post motum cor-
 poris, ad aestum sitimve leniendam exhibita
 adeo corpora reficiunt, sumentibusque gratissi-
 ma sunt. Non mihi credo, haec à Medico posse
 negari, cum vulgo nota sint. Sed fatetur tan-
 dem in fin. Th. 10. assumi *Acida*, attamen
 subjungit, illa intra nos persistere ad minimum
 temporis spatium non posse quin à calore edo-
 mentur, & dulcescant, ne nimirum, quod
 antea dixerat, *Sanguinem coagulent, corrumpant, motus, & ebullitiones, fermentationes & pugnas in Animali corpore statim excitent.* Li-
 cebat Clar. Sylvio dicere, *Acida* in corpore no-
 stro edomari, & dulcescere, cum Salibus Lixi-
 vis instructus sit, qui Aciditatem concentrare,
 ut loquuntur, brevissimo tempore possint.
 At Cassio non licet, qui hoc à *Calore* vult fieri,
 Hic vero fidem ejus testor, dicat, si unquam
 Spiritus Acidos sine ulla additione, *Solo Calore*,
 dulces redditos vidit, aut ab aliis factum audi-
 vit: dicat, quantum temporis segregia illa, sed
 tedium, operatio requirat. Scio, qui per tres
 menses, scio qui diutius Spiritus Acidos in Di-
 gestionis calore reliquerunt antequam dulces-
 cerent. Certe dum Cassius hoc momento fieri
 in Corpore credit solo calore, majori jure illum
 exagitaret, juberetque, ut Furnum, & varia ac
 han-

hanc operationem necessaria in corpore nostro
 ostenderet, ut ille summa injuria hoc ab illis
 poscit, qui esse in bile Salem Lixivū dicant e-
 dem sensu, quo vulgo, & recte, dicitur ineesse
 in Absinthio Sal Fixum, in Vino Spiritum Vini,
 in Cornu Cervi Sal Volatile, ut ad horum pro-
 ductionem deinde igne opus sit. Quæ deinde
 de triplici Naturæ regno ejusque alimentis
 dulcibus, noxā vero ab Acidis metuendā dicun-
 tur, refutationem non merentur; ut nec illa, quæ
 de corruptione vinorum & Cerevisiæ adfert, ut
 taceam, me jam prolixiorē fuisse quam volu-
 eram. Sed tamen permitte mihi, vir Clari-
 ssime, ut ad Th. 15. aliqua notem. Nam quod
 Th. 14. morbidis animalibus & momentea mu-
 tatione Aciditatem Succi Pancreatici, quam in-
 vitus tandem concedit, excusare conatur, ad ilud
 non respondebo, cum alibi hac in re ipsi satis-
 factū sit, dummodo illi rationibus satis fieri pos-
 fit. Tantum vero abest, ut in illis acquiescar, ut
 immanni quodam iectu solvere tentet nodū Gor-
 dium, quem nec ti sibi, veterum Auctoritati-
 bus tantum tribuenti, ex Hippocrate viderat. Sed
 quomodo solvit? Videamus: Non possumus, in-
 quis, concludere, semina Acoris jam præexistisse
 in iis, quæ de novo prius fiunt ac generantur,
 non per Apocrisin Hippocraticam, sed per to-
 talē aliquam humoris Transmutationem, &
 Particularum inversionem, nec eō nos inducet

Philosophia intestinalis, ut statim rei ineſſe credamus, in quod illa p. n. mutantur. Non jam mihi cum vulgari Philosopho reſeft, ut pote in re difficultima, & maximi in physicis momenti tā audacter pronuntiat, ut nihil ſupra. Atque pri-
 mum quidem Apocriſin Hippocraticam plane negat, de qua tamen loca tam clara ſunt non apud Hippocratem tantum, ſed etiam apud Ga-
 lenum: Deinde nobis obtrudit *Totalē Humo-
 rum Transmutationem, & particularum in-
 versionem*, quæ ille pro iisdem habet, cum ta-
 men toto cœlo differant. Vereor fane, ne Cassius
 brevi stupenda iſta Transmutatione, & Particu-
 larum inversione, totum orbem transmutet at-
 que invertat, & ſupera inferis misceat. Cauſam
 vero ſi quæris, quæ illum impellat ut tantum
 audeat, accipe. Sic enim, pergit, in *Alimentis S.
 n. exſtarent Semina Lumbricorum, Vermium,
 Ascaridum, eo quod hæc nonnanquam in Lum-
 bricos & Ascarides p. n. mutantur.* Scilicet, ba-
 culus ſtat in angulo, ergò cras pluet. Quomodo
 quæſo iſta quadrant, atque ad Thesin noſtram
 pertinent? Dixerat Hippocrates, dicuntque Re-
 centiores cum illo, omnia in corpore noſtro ſ.
 n. eſſe temperata, adeoque ſibi invicem perni-
 ſta, ut nihil excedentibus valde qualitatibus
 conſpicuum fit, nec hominem laedat: quod ſi
 quando vero accidat, ut quædam conſpicua fiant
 & hominem laedant, ſive acida illa ſint, ſive ama-

ra, aliave, tum illa, cessante mistione, separari. Hic vero Cassius statum Controversiae plane alium facit, afferitque Lumbricos suos & vermes, qui tamen nullo modo Corporis partes sunt, adeoque nec ad probandam, neque ad refutandam Apocrisim Hippocraticam quicquam faciunt. Neque etiam tam absurdum est, ac ille putat, Semina vermium in Alimentis exstare. Vetusjam est opinio, & à præstantissimis Philosophis defensa, Animalia non nisi ex semine quæque suo generari: prodiitque jani Florentiae Clarissimi Redi Liber de Generazione Insectorum in iquo Auctor doctissimus probat, nullum Animal, nisi ex alio Animali, nec ex planta corrupta, generari. Atque sic Cassius aliis argumentis indigebit contra illos, qui Syncrises atque Diacrises in corpore fieri putant, rectiusque discere debet Hypothesin illam, quæ varias Corporum Metasyncrises, & Texturarum mutationes supponit. Male namque intellexit illam Cassius, cum Humorum totales Transmutationes, & Particularum Inversiones animo concepit. Suppositis minutis Corporibus, & variè motis, non difficile est conceptu, si illa vel figuram, vel situm, atque connectionem, idque varie, mutant, proditura aliâ facie, novisque attributis sese ostensura. habetque ista confidcratio tantum in physicis utilitatis, ut inter nobilissimas reputari possit, maxime, cum

& Artifices nostri eâ solâ multa præclara, &c admiratione digna præstare possint. Sed ista quæ à situ particularum atque figurâ pendet mutatio, multum abest à totali illa Transmutatione, & Particularum Inversione, quam Cas-sius fovere animo videtur ; nec, si Natura isto modo variè Corpora immutet, putandum propterea est, Syncrisin atque Diacrisin amplius locum non habere, quin potius credendum, cum Naturæ actiones tam variae sint tamque multiplices, illam jam hoc, jam ..., jam utroque, vel pluribus modis opus habere, ut illas perficiat. Et sane tam illustria sunt ubique Syncrisis & Diacrisis Corporum documenta, ut naturæ opera ignorare debeat, qui illas tollendas putat: nec, qui contra Chemicorum separations ingeniose & docte, supra quam dici potest, disputat, Nobilissimus Boyle in sceptico suo, aliud vult, quam ut ostendat, nondum ab illis evictum esse, Separationes omnes, quas jactitant, tales revera esse; cum saepe dubitari possit, an non potius Corpora ab illis producta sub alio tantum habitu appareant, quam ut existiterint ea forma in concretis, quo nobis, Analysi facta, apparent, utque ignis ope ab aliis, cum quibus permista erant, corporibus secreta fuerint. Quod quidem uti verissimum est, ita quoque ab altera parte Vir Nobilissimus nunquam in dubium vocavit Syncrises &

Dia-

Diacrises dari, quin nec plane negavit, Corpora quedam, mediante igne ab aliquo Mixto elicita, non Materiae tautum ratione, sed & aliis attributis, jam potuisse in Mixto existere; cum Concreta dentur, quæ priusquam igni exponuntur, plurima documenta dant, eorum alia Sale, alia Sulphure abundare. Ex quo jam facile colligitur, quid statuendum sit de iis difficultatibus, quæ circa Sales Lixivos Th. 18. moventur. Ut enim non repetam quod jam antea innui, eodem jure à Recentioribus posse dici, inesse in Bile Spiritum Volatilem, Salem Lixivum, Oleum, &c. eo quod destillatione possint ista ex Bile elici, quo vulgo ab omnibus dicitur, Plantam v. gr. volatilebus aliisve particulis constare; injurius etiam est Cassius, dum negat, esse ea, quæ dixi, in Bile, eo quod igne opus sit ut extrahantur. Utut enim ignis multum fortassis conferat ad illorum productionem, nescimus tamen adhuc quid & quantum ignis ad hoc agat, valdeque suspecta est *Vis illa ignis Liquefactiva* qua sola Cassii judicio, Sales Lixivi fiunt & generantur. Hoc certum est, multa ignis beneficio à Mistis separari, quæ maxime probabile est in illis existisse; nec posse omnia, quæ per destillationem obtinentur, dici de novo produci, sed magnam eorum partem secerni, aliquando plus, aliquando minus ob actionem ignis, inque minu-

tiores partes divisionem. Certum etiam est, non pauca esse argumenta, quæabilem Salinis corporibus constare, evincant, ut non adeo opus sit ad illud probandum confugere ad urinæ examen Th. 19. propositum. Pro nostra tamen sententia facit, sine magno calore, radiisque solaribus, aliquam tantum Urinæ humiditatem absumentibus, concrescere in illa Crystallos, qui licet multum differant à Sale per ignem ex Urina extracto, probant tamen revera, Sales cujuscunque tandem Naturæ in corpore nostro existere, qui à fornacum igne producti non sunt; quod si à Cassio obtineamus, jam multum profecto contra illum profecimus. Neque vero etiam isti Crystalli dulces tantum à Sale Urinæ sive volatili sive fixo durant, ut ille putat, nec specie differunt, nisi quod hi forte Simplices sint Sales, & in specie diversi per Diacrisin individui: Illi autem Crystalli Compositi sint, atque ad Salis Armeniaci Naturam quodammodo accedentes. Differunt itaque eo, quod ignis non tantum volatiles partes à fixioribus, sed & acidas à Lixivis magis separant, quæ dum Crystalli fiunt, in unum coēunt; & præterea, quod eadem vi ignis salinæ particulæ in minutiores partes dividantur, quam fieri à radiis solaribus possit: quæ sola divisio sufficere potest, ut Sal alter altero acrior sit, nec necessè est illum aliquid aliud ab igne

igne accipere , quod ad hanc acredinem faciat.

Ad Th. 20. attuli quædam superius, cum Salis Definitionem examinarem. Nunc istud animadvertisendum venit , quod *Salibus Lixivis Lixivii* potius nomen convenire putet. Cur Cassius Germanus cum sit, Latii populis Legem vult ponere , quibus vocabulis res sua lingua debeant experimere: *Vayroni* jam *LixCinis est foci*, *Cinisque Lixivus*; qui *bibi* potest, uti est apud Plin.l.36.c.27. docetque Nonius, *Lixivium* nunc dici, quod *veteribus Lix*, id est *Cinis*, vel *Humor Cineri mistus* dicebatur. *Decoctum* autē in *aqua Cinerem*, donec parum supersit *humoris*, ubi refixerit , in *Salem* abire *Copiosum* Aristoteles Auctor est Meteor.l.2.c.3. Si ergo *Lixivium* est *Cinis Lixivus*, vel *Humor Cineri* mistus , quid *Salem* siccum atque Retorridum Cassius vult *Lixivium* appellari, quod decoctum demum ad *humoris* consumptionem in *Salem* abit, Aristotle docente. Appellemus porro eo nomine potius, quo *veteribus* jam venit , quodque nihil habet incongrui, quam ut insolenti mutatione confusione pariamus iis , qui novitati illi nondum assueverunt.

Expendamne etiam bellulum experimentū eadem Th. 20 propositum, ut appareat, quam accurate Cassius observet, rationemq; ineat eorum quę observavit? v̄bit per tridum *Sal Tartari* magno igne, quod deinde multum imminutum non

in

in forma Salis, sed vitri sine sapore, ignibus extraxit. Atqui, aut hoc falsum est, Sal Tartari Vitri formâ sine sapore prodiiisse, hoc est in vitrum mutatum fuisse: aut debebat hic omnis labor finiri, cessareque experimentum. Sed quid factum? Contuso isthac vitro, affusaque aquâ separatus inde Sal, & Terra alba. Atqui sciunt omnes, & Cassius fatetur in fin. huj. Th. 20. Sales ab terram ipsis sanctâ vitrificationem subire quidem, sed ab illa nullum ad salinam naturam regressum dari. (Cassii verbis utor). Scio, primarium apud Amstelodamenses Virum, rerumque Naturalium, Matheoscusque abstrusioris apprimè gnarum D.H. singulari dexteritate ex vitro, ni fallor, Veneto, ad candelæ flammam salis efflorescentias obtinere posse; prodiditque nuper doctissimus Boerichius Libro de Ort. & Progr. Chem. se ex vitro veneto in pollinem redacto superfusâ aquâ destillatâ calidâ salis aliquantulum cocturâ elicuisse, sed quod ne cextima parte vitro responderet. Sed hoc nimis parum Cassio, qui ex dicti vitri Libris duabus, & undecim lotomibus (sit venia vocabulo Cassiano) libram Salis extraxit. Accepit ex hoc Sale Tineturam Spir. Vini factam, accepit oleum nigrum, hujus solutionem, fæcesque nigras secedentes: Habuit denuo novum Sal, novasque fæces, in quas rotum Saltansisset si operationem repe-
te amplius voluisse. Sed quid colligit ex operoso
isto

ito experimento? Scilicet, hicjam suo more Logisticus est, concluditque, cum nullum Salem à fæcibus distinctum & liberatum obtinere potuerit, quin potius cum totū Sal Tartari nihil aliud videatur esse, quam' alba & nigra terra combustibili falsedine ditata, Omnia Alkalia esse Corpora Composita & terrea, nullaque ratione similaria. Quid opus erat exantlare tantos labores, ut perveniremus ad istam veritatem, omnia Alkalia esse corpora composita, & nulla ratione similaria? Quis unquam ex Chemicis, praeter ignaros quosdam & Thrasones dubitavit, Salia Alkalia nec inter se esse similia, nec non nisi ad sensum tantum similaria, atque vix posse ad tantam puritatem deduci, quin semper aliquid foecum, repetitis solutionibus & Coagulationibus, iis decedat, in quo quidem pertexendo tam operosus est Claveus in suo de Principiis Chem. libro. Sed ne istud quidem, quod Cassius vult, ex ejus experimento sequitur. Si enim sunt Salia corpora composita, ubinam sunt illa ex quibus compenuntur? Nihil certe ille obtinuit praeter fæces terreas, seu potius terram, eamque albam & nigram, quæ duæ tamen potius pro eadem terra habendæ sunt, cum nigra, lotione atque ustione fine dubio in albam terram abjisset. Nam falsedinem combustilem per Obreptionem supponit, & si combustibilis sit, Sal erit quod comburitur, (nisi Qua-

litatem forte velit combustibilem) quod ex terra non constabit , adeoque non , uti ille vult , Compositum erit . Aliud ergo aliquid ex Experimento isto , (si modo verum sit) deducendum erat , sed quod ille cogitando asservatus non est , nempe , posse Sal Lixivum repetitis Calcinationibus , Solutionibus , atque Coagulationibus omnes suas qualitates amittere , & tandem in terram insipidam reduci , nullo modo à terra quavis alia insipida distinguendam . Atque hoc nuper non de Salibus Lixivis tantum , sed de omnibus aliis , Sale Petræ , Communi , &c. affirmavit Clarissimus Borrichius laudato superius libro , cum tamen , qui illum præiavit Blasius Vigenerus experimentum tantum in Sale Communi fecerit , redegeritque ejus libras octo non in totidem libras terræ , sed in aquam insipidam , & terræ , etiam insipidæ , uncias duas , nihil plane perdens de Substantia Salis . Refert ille Experimentum quod fecit libr. de igne & Sale Gallice edito . p. 238 . Edit . Rotomag . Anno 1642 , quod omnino refellit , Sal Commune , uti Cassius putat , in signibus proprietates suas illætas servare . Similem se gerit , ubi Th . 21 . & seqq . de Bile Chemica Analyti ratiocinatur . Debacchatus fuerat Th . 17 . contra Cl . Sylvium , ejusque assertiones , quod asservuerint , in Bile Salem Lixivum , Spir . Volatilitem , Oleum , & aquam contineri . Hic verojam mode-

moderatior est, cum jam, ut certior de iis esset, ipse experimentum fecerit, acceperitque illa, quæ antea pro absurdis habebat. Sed quid prodest detecta veritas, cum illam maliciose respuimus? Videt, tangit, gustat, ea quæ antea negaverat; cumque maxime persuadeatur, persuaderi tamen non vult, sed occasionem ubique cavillandi querit, studetque refutare, quæ amplius negare non potest. Et initium quidem facit ab *Aqua copia*, quam ex Bile accepit, eum Cl. Sylvius paucam tantum in Bile inesse aquam dixisset. Speciosa hic, fateor, est Cassii causa, sed cui tamen facile occurri potest. Nisi nodum, quod ajunt, in scirpo quereret, vidisset illos, quos paulo post adeo traducit, quod bilem ob oleum ejus pustantflammam concipere, expressis verbis dicens; sicut ab omnibus fere Animalium partibus, ita à Bile quoque notabilem *Aqua copiam separari posse*. Sed Cl. Sylvius de pauca tantum aqua loquutus fuerat? Dixerit; num propterea adeo vapulabit? Potuit ille Bilem fermentatam, quam dicunt, destillasse, cum Cassius non fermentatam de stillaverit, ex qua certum est minus aquæ prodire, illamque, quæ prodit, non insipidam esse, ut Cassii est, sed quam lingua vix ob nauseabundum saporem ferre possit; claro argumento, spirituosi salinique non parum aquæ conjunctam esse. Sed nec etiam si tantum aquæ, & in-

sipidæ , quantum ille vult , à bile feceretur,
 propterea minus licet dicere, parum tantum
 aquæ , respectu caterarum rerum , bili inesse,
 si quis consideret , drachmas duas Spiritus vo-
 latilis, atque tres drachmas terræ instar aloës a-
 maræ , (quam tamen male terram appellat,
 cum solubilis fuerit , dederitque olei crassi &
 nigri drachmas duas, salisque Scrupulum unum,
 & grana tria), cum unciis quinque & drachmis
 sex mistas, liquorem fortem & saporis ingrati
 futurum. Refert Cassius Th. 7. *unicam libram*
salis Tartari posse triginta stophas acetii in a-
quam insipidam convertere. Restabit aqua fere
 eodem pondere , quo acetum fuerat , parum
 certe imminuto , Salque Tartari vix tres aut
 quator uncias amplius pendet , & tamen hoc
 parum, quod decessit Aceto , quodque Sali Tar-
 tari accessit , Aceto dat insignem illum aco-
 rem , cuius ratione parum quis dicat esse in
 Aceto aquæ, antequam separatio facta fuerit. Res
 clarior est in vitrioli & Salis Spiritibus à phleg-
 mate, quantum fieri potest, liberatis. Nam &
 istorum Spirituum , utut acerrimorum, maxi-
 ma pars aqua est , si cum salibus lixivis , vel Co-
 ralliis jungantur. Addit aliam subtilitatem
 Cassius : duas drachmas Olei aquæ unciis sex
 mistas non posse ardere , adeoque ab oleo non
 esse Bilis inflammabilitatem. Quidni ardebit
 oleum , Cassi, si debile misceatur ? Aquæ quan-
 titas

titas obstat, nonne? Nescis itaque, non tantum spiritum vini vulgarem, sed quodvis Vīnum Gallicum, etiam vilissimum, non obstante quicquid in illo est aquæ, ardere, si prius incandescat, magisque, si præterea moveatur, quod male contra Sennertum negat doctissimus alias atque Expertissimus Danus. Atque, si verum est, quod vulgo ab omnibus pro vero habetur, Sulphureas esse atque oleofas partes, quæ in Spiritu Vini deflagrant, cogita quæso, quam parum hujus olei debeat ineffe non dicam in Spiritu Vini, sed in ipso vino, & quidem vilissimo. Scio, dari Spiritus inflammabiles, in quibus ineffe oleosi quid non temere dixerim, quamvis nec etiam multum negaverim, de quorum inflammabilitate alias forte. Sed hi Spiritus plane diversi sunt a Spiritu Vini, magisque Cassii argumentum laborabit, si verum est, quod a Präclaro Viro, & Nobilissimi Abbatis Domini Boucaud Amico non semel audivi, posse Curiosissimum Virum separare Oleum a Spiritu Vini, ita, ut quod superest Spiritus, licet Fortissimi, non amplius incendi queat. Reliqua prætereo, ut ludicra, an oleum Crassum, quod ex Bile accepit, fuerit principium, an ex aliis Principiis conflatum; quæ illius cum sale mistura; an nigra illa terra, &c instar aloes amara magis per oleum quam per salem soluta fuerit; cur non major Salis in Bile sit

copia

copia, & quid viginti tria grana possint ad tantos tumultus excitandos? Ostendunt ista Cassii ingenium, cui hoc saltem ut discat, auctor sum, multa esse quæ ille non capit, Naturamque posse plurima, quæ ille nec potest, nec intelligit.

Superest tertia Disputationis Pars paucis absolvenda, jam enim nauseo. De Pituita hic agit, quam quidem dari non affirmat, *cum non semper appareat*, nec adeo multis exemplis in Praxi ejus Existentia confirmari possit, sed nec omnino negat; uti nec admodum negari posse putat, Bilem per meatum choledochum ad intestina profluentem sèpius pituitæ secundum Naturam misceri, non quidem quod hæc ita se habere Experiencia & Rationibus constet, sed, quia veteres hoc docuerunt. Quod si hoc eredit propterea quod veteres idem docuerint, quare ergo, nec eorundem veterum Testimonio credit, pituitam in intestinis semper hære? cur iisdem illis veteribus non credit, qui tot exemplis, ex illorum praxi repetendis, pituitæ existentiam confirmant? Nam si vel ego, vel alius quis Cassio dicat, jam nolit alienis oculis, alienâ fide ista intueri, sed ingenuo potius spiritu veritatem inquirere. Vid. ejus Proœm in fin. Et tamen, dummodo hoc, uti dicit, velit agere, non plane de illo desperabo, sed certus ero, illum, ut primum ad ægros vocatus fuerit, multa concessurum, quæ hastenus negavit, sed in primis istud:

istud : Gravitatem illam , pondus circa præcordia , durum illud cingulum superiorem abdominis partem ambiens , de quo ægri toties conqueruntur , flatus ructusque adeo miserosangentes , intestinorum dolores , distensionem , sensumque quo sibi videntur terebra perforari , pituita viscida tanta saepe copia & per fauces & per alvum excreta , aliaque centena hujus generis , certissima & indubitata Medicis documenta esse , quæ pituitæ existentiam demonstrant . Vide sis , si placet , ipsum Galenum nostrum laborantem , ejusque curationem . 2. de loc. Affect. c. 5.

Quibus ita expositis , securus quid alii judicaturi sint , ipso Cassio judice me obtenturum spero , nullam haec tenus Effervescentiam , ob argumenta ab ipso allata , negandam esse , ne quidem ratione Salis Acidi & Lixivi , utpote quos nullo modo , ne probabilibus quidem argumentis , probavit , nec in tota Natura , nec in corpore nostro existere : Esse Effervescentias illas adhuc in statu fano Motores Humorum & Sanguinis (reliquis tamen non omissis requisitis :) nec cadere virtutes & munia , non dicam Triumviratus (Nam hoc Cassii , ejusque similium figmentum est ,) sed triplicis illius humoris , Bilis , Succi Pancreatici , atque Pituitæ in Intestinis concurrentis , quæ omnia Cassius imis subruta fundamentis volebat , sed in cassum volebat .

Non

Non lubet ulterius ad Corollaria descendere:
 Non ferrem illam *Animam totam in qualibet parte*: illum unum *Spiritum corpus gubernantem*, quem deinde *Spiritum vitalem* dicit, nisi
 fibi contradicat: illum *Sanguinem*, ubiunque
loci, & *circa viscera*, & *in habitu Corporis eundem usque, & sui similem*: istam admirabilem similitudinem *lactis & Sanguinis in essentia ac materia*: illud fermentum dulce *mammis innatum*: illum *Liquorem Sanguini similem* (similem, volebat dicere), *Serum antiquis dictum*, ejusdem plane cum *sanguine Naturae, nihilque ab eo differentem*, & similia alia, quæ volens sciensque prætereo Nec enim mea interest, quas Cassius de rebus opiniones foveat, daboq; ipsi libertatem sentendi quicquid voluerit, dummodo fibi sapiat, nec calumniis impetrat qui nunquam illum offenderunt, definaturque refutare quæ non intelligit. Quod si rem, uti debebat, examinasset, movissetque difficultates & dubia alicujus momenti, quæ in re difficillima non defunt, nec unquam deerunt, idque modeste, utque viros ingenuos decet, animo veritatem indagandi, responderem forte publico scripto, speraremque, mutua hac collatione argumentorum, obscura quædam hæc tenus illustrari, falsa vero, aut male concepta, corrigi, adeoque Scientiæ fines produci posse. Sed nunc manum de tabula. Neque enim otium adeo
 odio.

odio mihi est, ut rem mihi velim esse cum ho-
mine importuno, & furibundo non valde absi-
mili. Quare tibi tantum scribo ista, succensens
mihimetipſi, quod tam prolixus fuerim, nec
coercuerim impetum quo calamus ferebatur.
Tu quæſo prolixitati ignosce, ſicque existima,
me non ægre laturum, ſi nihil horum legas, vel
ea tantum, quæ placuerint. Vale, Amicorum
optime, & me ama. Dabam è Museo. Mense
Octobr. A. d. 15 c. LXXVIII.

Ne vacuæ essent frequentes pagellæ, libuit subjungere quædam Excerpta è Thesibus Inauguralibus de Arthritide, Celeberrimi Viri D. D. JOANNIS de RAEI, Habit in Acad. Lugd. Bat. 16. Julii 1647. ut omnibus appareat olim jam cogitationes illas de acido ac salso &c, è scriptis Hippocratis ab eodem Viro Clariss. exculptas fuisse.

Ita habet THESIS I.

Docuit quidem Hippocrates lib. de Nat. Hom. textu v. § 9. & seq. *Corpus huma-num continere in se ipso sanguinem & pitui-tam & geminam bilem, flavam & nigram, quibus natura corporis illius constituitur, & per quæ ægrotat ac sanitate fruitur.* Non raro etiam eosdem calidos, frigidos, humidos, & siccos vocat. Quantum nihilominus absit ab Hippocratis opinione, quod hisce solis qualitatibus natura & facultates humorum comprehendendi queant, ita ut iis solis corpus afficiant, libro de prisca Medicina textu xxx. ex professo docuit. *Quod, inquit, multi febribus ardentibus, pul-monum*

monum inflammationibus, aut aliis morbi⁹
vehementibus detenti, calore non cito liberen-
tur, illud ipsum magno argumento est, quod
neque calidum simpliciter, neque ipsum solum
affectionis causa sit, sed est & amarum & cali-
dum idem, & calidum & acutum, & falsum
& calidum, aliaque innumera, & rursus fri-
gidum aliis facultatibus commixtum. Hæc sunt,
à quibus noxa provenit. Sed & calidum ad-
junctum est, robur ac veluti principatum ha-
bens, quod incitat & vim ejus cui conjunctum
est auget, nullam tamen peculiarē vim, quam
conveniat, majorem, obtinet. Quinimo aperte
docet, l.c. textu xxiv. & xxv. proximam seu ex-
tremam agendi vim in humoribus, non à quali-
tatibus primis, sed à facultatibus, quæ solæ hominem afficere queant, provenire.
Facultates illi sunt amarum, falsum, acidum,
ceteraque tum in homine tum extra hominem.
Et hæc quidem mixtione & mutua inter se con-
temperatione neque cernuntur, neque molestia
quemquam afficiunt. At ubi horum quippiam
secretum fuerit ac per se extiterit, tum & con-
spicuum sit, & hominem molestia afficit.

II.

Hæc Doctrina Hippocratica, si diligentius
exulta fuisset, non tot morborum causæ in
occulto tamdiu laterent. Arthritidi saltem ma-
gna lux exinde affulgere mihi videtur. Dico
igitur,

igitur, quod falsum est in corpore nostro & acre, tenui insipido (ut Hippocratice loquar) seu aqua dilutum, ubi secretum fuerit, atque in partes circa articulum sentientes decubuerit, dolorem illic excitat, primum quidem illas vellicando & pungendo, mox etiam sui copia premendo & distendendo.

III.

Verum enim vero, quandoquidem recentiorum observationibus jam certum est, quantum possit serum, præcipue in hoc affectu, prout peculiarem massæ sanguineæ partem denotat, illud potius, quam ichorem, doloris causam statuimus. Est autem in omni sero *aqua tenuis*, Hippocrati insipidum, cui & aliæ substantiæ permixtæ sunt, quæ pro copia & viribus habent facultates. Notissimum est *Sal*, quod acrimonia sua atrocis illius doloris prima causa est, atque prout magis vel minus vchemens fuerit, dolorem etiam multum variat. Existimo tamen huic falso sæpe multum *Acidi* adesse. Præter hæc autem in sero est crassior aliqua substantia, quam *fæcem terrestrem* nominare possumus, unde nodi præcipue generantur. Quæ sit illius natura haud satis perspectum habemus. Unum affirmare ausim, salis crassioris non nihil ipsi adesse, cui portio quædam terrestris ex reliqua massa sanguinis accedens, speciem Arthritidis, quo ad dolorem calorem & durationem, multum variet.

IV.

IV.

Inest enim in terra & acidum & amarum & dulce & salsum, & omnigenum, ex quibus unumquodque quod ex terra nascitur, quod familiare sibi fuerit, attrahit. Sunt verba Hipp. de Nat. Hom. t. xi. Alimenta autem, quibus corpus nostrum quotidie instauramus, quia omnem suam substantiam ex terra sumunt, cuncta ejusmodi succos in se continent. Hæc igitur, ubi in corpus ingesta, ejusdemque calore resoluta fuerint, quodcumque in se continent, in massam sanguinis deponunt, dulce quidem maximam partem & substantiam corporis conveniens, non nihil tamen acre salsum & acidum. Quæ postrema, ubi frequenti per cor transitu attenuata, reliquisque massæ sanguineæ portionibus exacte permista fuerint, constitutæ cum illis unum & simplex & validum, ait Hipp. nec molestiam ullam exhibent. Qui atamen & ex quo sua natura sunt, & iugis seu vehementia, si majori copia cumulata vires acquisiverint, reliquis massæ sanguineæ partibus non accurate amplius miscentur, sed tanquam heterogenea confunduntur. Unde vitiata primum sanguificatione, sanguis diversis humoribus infectus, fervorem intus concipit, & instar cerevisiae recentis fermentatur, tandemque magis solito intumescens ac ebulliens, acres illos & alienos succos, una cum seri portione, qua data via

via propellit. Quod ad alvum pervenerit, diarrhoea aquosa, quod ad renes copiosiori mictione, quod ad habitum corporis, per poros evacuantur. In articulos autem quod incidit, penetrat in intimos recessus & interstitia nervosarum partium, quae cum undique densissimis ac frigidis partibus obsessa sint, fistulant serum atque retinent.

Hæc suffecerint in præsens, qui plura desiderat, adeat interea Clarissimi Tachenii Hippocratem Chymicum, ut & Ejusdem Hippocraticæ Medicinæ Clavium, donec in lucem prodeat Celeberrimi Schuylli Tractatus quem pro Veteri Medicina conscribit, qui ab omnibus avidissimè exspectatur.

F I N I S,

Med. Hist.
WZ
259
C3456dt
1669

